

Joseph Resch

Pius Samaritanus

(1750)

Text mit Übersetzung und Anmerkungen

von Nikolaus Hölzl

Innsbruck 2020

v. 1 (23.03.2020)

Text: Simon Wirthensohn

Satz: Stefan Zathammer

Übersetzung und Anmerkungen: Nikolaus Hölzl

Erschienen im Rahmen des Projekts **Brixner Schultheater im 18. Jahrhundert: Edition und Übersetzung der neulateinischen Dramen von Joseph Resch**

Projektleitung

Prof. Wolfgang Kofler (Leopold-Franzens-Universität Innsbruck)



Fördergeber

Autonome Provinz Bozen – Südtirol



Projektpartner

Albrecht-Ludwigs-Universität Freiburg (Prof. Stefan Tilg)

Bibliothek des Priesterseminars Brixen

Bischöfliches Institut Vinzentinum Brixen

Ludwig-Boltzmann-Institut für Neulateinische Studien Innsbruck

Stiftsarchiv und -bibliothek Kloster Neustift (Ursula Stampfer)

Inhalt

Edition

4

Übersetzung

25

Edition

Tragoedia III.

PIUS SAMARITANUS

In pia Meditatione per tempus

Quadragesimale exhibitus,

Coram Celsissimo ac Reverendissimo

D. D.

LEOPOLDO

EPISCOPO

Et S. R. I. Principi Brixinensi, a Con-

gregatione Brixinensi, sub titulo B.

V. M. ab Angelo salutatae, per An-

num Jubilaeum MDCCL.

Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum et plagis impositis abierunt semivivo relicto. Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet eadem via et viso illo praeterivit. Similiter et levita, cum esset secus locum et videret eum, pertransiit. Samaritanus autem quidam iter faciens venit secus viam et videns eum misericordia motus est et appropians alligavit vulnera eius infundens oleum et vinum; et imponens illum in iumentum suum duxit in stabulum et curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, dedit stabulario et ait: „Curam illius habe et, quodcunque supererogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi.“

Lucae cap. 10 a v. 30.

[p. 124] *Praeludium*

Proteus per angelum a somno excitatur ad tractandum animae negotium et contemplandas veritates aeternas.

Punctum I

(I)^a Ierichuntinus, misso Ierosolymis nuntio, Ierichunta se conferre statuit (II) et ab Azaria nequicquam revocatus, (III) nec non in suo proposito firmior, repentina tamen caeli minantis tempestate territus, (IV) a quibusdam sub larva amicitiae (re autem vera latrones erant) invitatur ad divertendum in silvestri casa: (V) ab illorum illecebris totus quantus inebriatus (VI) vestibus spoliatur, vulneratur et semivivus relinquitur.

Expositio puncti I

Ex sanctis patribus intellectui et voluntati meditantium apposite instituta.

Punctum II

(I) Ierichuntinus miserrimus. (II) Calamitatem suam incassum conqueritur Sacerdoti et Levitae, (III) qua[p. 125]re desperabundus vix non animam agit; (IV) a Samaritano tamen praetereunte benigne habitus et fomentis adhibitis reffectus ex lacu, in quo iacebat, in locum meliorem transportatur.

Expositio puncti II

^a Der Druck hat zu Beginn stets *Scena I.* etc.

Punctum III

(I) Samaritanus (II) cum suo Pandochio (III) infirmum Ierichuntinum vario vulnerum ulcerumque genere laborantem pristinae restituit sanitati, (IV) qui prioribus etiam vestibus ornatus, (V) nihil non agit, quo eidem se gratum exhibeat et in servum perpetuum fideliter mancipet.

Expositio puncti III

Et propositum, ut aiunt, practicum cum fructu a Proteo angeli ministerio institutum.

PERSONAE ET PERSONARUM CLAVIS

Samaritanus: <i>Christus salvator</i>	SAM.
Infirmus Ierichuntinus: <i>Homo peccator</i>	IER.
Azarias: <i>Angelus custos</i>	DIO.
Sacerdos: <i>Lex antiqui testamenti</i>	SAC.
[p. 126] Levites: <i>Propheta legis veteris</i>	LEV.
Pandochius: <i>Sanctus pontifex</i>	PAN.
Latro I: <i>Diabolus</i>	LAT. I
Latro II: <i>Mundus</i>	LAT. II
Latro III: <i>Caro</i>	LAT. III

Ita Ierusalem, seu visio pacis, est hereditas domini, nempe paradisus.

Iericho, latine Luna, seu rerum caducarum varietas.

Stabulum, seu ut Graecus legit πανδοχεῖον: Diversorium, vel etiam ut Syrus vertit, est ecclesia.

Iumentum est humanitas Christi.

Vinum, quod infusum est, sanguis Christi.

Vulnera infirmi et ulcera sunt peccata.

Ita exponunt sancti Augustinus (serm. 17, de verbis domini), Hieronymus et Ambrosius in cap. 10 Lucae, item Origines (homil. 34).

Praeparatio animi ad futuram meditationem.

(Angelus et Proteus in umbra mortis dormiens.)

ANG. *(Proteum dormientem excitat)* Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis (Ephes 4)! Nunquid qui dormit, non adiciet, ut resurgat? (Psalm 40) Usquequo miser dormies et quando consurges a somno tuo? (Prov 6) Surge velociter!

PROT. Ego dormivi et soporatus sum et exsurrexi (Psalm 3). Ostendam tibi, audi me! Quod vidi, narrabo tibi (Iob 15). Somnium vidi, quod perterruit me, cogitationes in strato meo et visiones capitis mei conturbaverunt me (Dan 4). Vidi somnium et mente confusus ignoro, quid viderim (Dan 2). Ecce arbor in medio terrae, altitudo eius nimia, proceritas eius contingens caelum, aspectus illius erat usque ad terminos universae terrae. Et ecce sanctus de caelo descendit [p. 128] et clamavit fortiter: Succidite arborem et praecidite ramos eius, excutite folia et dispergite fructus! Hoc somnium vidi, tu ergo interpretationem narra festinus (Dan 4)!

ANG. Haec est interpretatio somnii (Gen 12): Arbor, quam vidisti sublimem, tu es, qui magnificatus es et invaluisti (Dan 4), qui dicebas in corde tuo: similis ero altissimo (Isa 14). Haec est interpretatio sententiae altissimi. Quam ob rem consilium meum placeat tibi, peccata tua eleemosynis redime et iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis (Dan 4). Quanto maior factus es, humilia te in omnibus et coram deo invenies gratiam (Eccli 3).

PROT. Vidi aliud signum in caelo magnum et mirabile (Apoc 15), angelos septem habentes phiales septem plenas iracundiae dei viventis in saecula saeculorum, et audivi vocem magnam dicentem septem angelis: Ite et effundite septem phialas irae dei in terram (Apoc 18)! Quid vult hoc somnium (Gen 37), domine mi?

ANG. [p. 129] Vidisti calicem de manu domini (Ierem 25). Ex hoc bibent omnes peccatores terrae (Psalm 74), de vino irae dei, de furore omnipotentis (Iob 20). Amara erit potio bibentibus illam (Isa 24).

PROT. Gustans gustavi paululum et ecce morior (1 Reg 14).

ANG. Forti animo esto (Tob 5)! Deus vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudinem (Exod 5). Consolabitur dominus Sion, ponet desertum delicias et solitudinem quasi hortum domini (Isai 51).

PROT. Nosti viam, in qua ambulem?

ANG. Novi et omnia itinera eius frequenter ambulavi (Tob 5).

PROT. Utinam dirigantur viae meae ad custodiendas justificationes tuas! (Psalm 118) Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea (Psalm 16).

ANG. Fili mi, recurre ad hominem interiore (Rom 3)! Ingredere tu et omnis domus tua in arcam (Gen 7)! Vade, populus meus, intra cubacula tua, claude [p. 130] ostia super te, abscondere modicum ad momentum (Isa 26)! Deus loquetur pacem in plebem

Pius Samaritanus – Prologus

suam et in eos, qui convertuntur ad cor (Psalm 74). Convenite et congregamini, antequam veniat super nos dies indignationis domini (Soph 2)!

[p. 131] PUNCTUM I

Scaena I

Ierichuntinus solus.

Quis ita deliciis affluet ut ego? (Eccl 2^a) Ecce magnus effectus sum et praecessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Ierusalem (Eccl 1). Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis et bibat et fruatur laetitia (Eccle 5). Ierusalem, Ierusalem, recessimus, non veniemus ultra ad te (Ierem 2). Deliciae meae esse cum filiis hominum (Prov 8), per plana et campestria urbis Iericho (Ios 4). Euge, euge, altitudines sempiternae in haereditatem datae sunt nobis (Ezech 36): stillabunt montes dulcedinem et colles fluent lacte (Ioel 3). Vadam et fruar bonis, vadam (Eccle^b) per omnem collem excelsum et omne lignum nemorosum (Ezech 20).

[p. 132] Scaena II

Ierichuntinus et Azarias.

AZAR. Quid est excelsum, ad quod vos ingredimini? (Ezech 20)

IER. Deliciis affluam et vadam (Eccle 2) in omnem terram Galaad usque Dan, in australem partem et latitudinem campi Iericho civitatis palmarum (Deut 34), in terram fluentem lacte et melle, quae est egregia inter omnes terras (Ezech 20).

AZAR. Vanitas vanitatum et omnia vanitas (Eccl 1).

IER. Nonne melius est comedere et bibere et ostendere animae suae bona de laboribus suis? (Eccle 2)

AZAR. Vanitas vanitatum et omnia vanitas.

IER. Magnificabo opera mea, aedificabo mihi domos et plantabo vineas, conservabo mihi argentum et aurum (Eccl 2): Et hoc de manu dei est, hoc donum dei est.

AZAR. Vidi cuncta, quae fiunt [p. 133] sub sole et ecce universa vanitas et afflictio spiritus (Eccle 1).

IER. Anima mea liquefacta est (Cant 5) prae amoris magnitudine.

^a In diesem Meditationsdrama wird verhältnismäßig oft aus dem Buch Kohelet zitiert. In der *Vulgata Clementina* heißt es *Ecclesiastes* und wird im Druck mit *Eccle* oder *Eccl* abgekürzt. Irreführenderweise sind dies dieselben Kürzel,

die in variabler Weise auch für Zitate aus dem das Buch Jesus Sirach (*Ecclesiasticus*; hier als weitere Variante auch *Eccli*) verwendet werden.

^b Die Kapitelnummer fehlt hier. Es handelt sich um *Koh 2,1*.

AZAR. Ne attendas fallaciae mulieris, novissima illius quasi absynthium (Prov 5). Quam ob rem considera et recogita (1 Reg 25), amariorem morte esse mulierem, quae laqueus venatorum est, sagena cor eius, vincula sunt manus illius (Eccl 7), pedes eius descendunt in mortem et ad inferos gressus illius penetrant (Prov 5).

IER. Sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua (Gen 8).

AZAR. Subtus te erit appetitus tuus et tu dominaberis illius (Gen 4). Apparuerunt peccata in omnibus cogitationibus vestris (Ezech 21). Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus (Psalm 31). Homo vanitati similis factus est (Psalm 149): Ecce parturit iniustitiam et peperit iniquitatem (Psal 7). Dereliquit deum factorem suum et recessit a deo salutari suo (Deut 32).

[p. 134] IER. Omnia tempus habent: Est tempus flendi et tempus ridendi, tempus plangendi et tempus saltandi (Eccl 3).

AZAR. Nemo autem dedit tempus et spatium peccandi (Eccl 15). Laetamini cum Ierusalem et exultate in ea, gaudete gaudio universi, ut repleamini ab ubere consolationis eius et deliciis affluatis, quia haec dicit dominus: Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos et in Ierusalem consolamini (Isa 66): In funiculis Adam vos traham, in vinculis caritatis (Os 11). Tu ergo, fili hominis, consurge et egredere de terra hac, revertere in terram patrum tuorum (Deut 31), terram fluentem lacte et melle (Exo 23) ad Sion montem et civitatem dei viventis Ierusalem caelestem (Heb 12)!

IER. Caelum caeli domino, terram autem dedit filiis hominum (Ps 113).

AZAR. Convertimini filii hominum revertentes (Ierem 3), revertimini et vivite (Ez 18)! Auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite agere perverse (Isa 1), dicit dominus omnipotens.

IER. Quid prodest deo, si iustus [p. 135] fuero aut quid ei confers, si immaculata fuerit vita mea? (Iob 22)

AZAR. Non sic impii, non sic (Psalm 1). Audite me duro corde, qui longe estis a iustitia, mementote istud et confundamini, redite praevaricatores ad cor (Isa 48)! Apprehendite disciplinam, nequando irascatur dominus et pereatis (Psalm 6)! Pro Christo fungimur legatione, tanquam deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini deo (2 Cor 5).

IER. Dixi, nun coepi: Noli me confundere (Ps 118)!

AZAR. Maledictus homo, cuius a domino recessit cor (Ier 17). Vae his, qui dereliquerunt vias rectas et divertunt in vias pravas (Eccl 2)! Vae vobis, viri impii, qui dereliquistis legem domini altissimi (Eccl 41)! Vae, filii desertores, ut aderetis peccatum super peccatum (Isa 30)! Propterea dilatabit infernus animam suam et aperiet os suum absque ullo termino (Isa 5). Audi verbum domini, haec dicit dominus deus (Ezech 20): Ignis succensus est in furore meo et ardebit usque ad inferni novissima (Deut 32). [p. 136] Quis poterit de vobis habitare cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardo-

ribus sempiternis? (Isa 33) Iuravit dominus exercituum per animam suam (Is 51): Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie dei (Psal 67). Nunc igitur ecce (*ironice*) post idola vestra ambulate et servite eis! Recordabimini viarum vestrarum et displicebitis vobis in conspectu vestro (Ez 20). Curavimus Babylonem et non est sanata (Ierem 51). Dixi iniquis: Nolite inique agere! Et delinquentibus: Nolite exsultare cornu (Ps 74)! Qui non audierunt, sed induraverunt cervicem suam (4 Re 17). Vocavi et renuistis: Ego quoque in interitu vestro ridebo (Prov 1).

[p. 137] Scaena III

Remanet Ierichuntinus.

Quid vult seminiverbius hic dicere? Novorum daemoniorum videtur annuntiator esse (Act 17). At malum et amarum est reliquisse dominum deum (Ier 2). Tu signaculum similitudinis dei, plenus sapientia et perfectus decore, in deliciis paradisi dei fuisti (Ezec 28). Quo vadis? Revertere in civitatem, revertere (2 Re 15)! Vindicta quasi leo insidiabitur tibi (Eccli 27). Erudere quasi damula de manu et quasi avis de manu aucupis (Prov 6). Cor meum gladio pungitur conscientiae (Prov 12). Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me (Psal 41) in scrupulum cordis mei? Noli esse iustus multum, neque plus sapiens quam necesse est, ne obstupescas (Eccl 7). At quis poterit habitare cum igne devorante, cum ardoribus sempiternis? (Isa 33) Testimonium mihi perhibente conscientia mea (Rom 9) dereliqui mandata domini (3 Re 18), cuius iugum suave est et onus leve (Matt 11): [p. 138] vadam et revertar. Usquequo affligitis animam meam (Iob 19), cogitationes pessimae? Iustus perit in iustitia sua et impius multo vivit tempore (Eccl 7). Faciam mihi delicias filiorum hominum, supergrediar opibus omnes, qui ante me fuerunt in Ierusalem. Omnia, quae desiderabunt oculi mei, non negabo eis, nec prohibebo cor meum, quin omni voluptate frueretur et oblectaret se in his, quae prae-paraveram (Eccl 2). Nunc igitur proficiscar in terram bonam et spatiosam, in terram, quae fluit lacte et melle (Exod 3). (*Cantat bubo in sylva.*) Suscepit auris mea (Iob 4) bubonem et ibyn, quod accipiunt pro omine (3 Reg 20), in signum et in portentum Israel a domino exercituum (Isa 8). (*In caelo se gravidae extendunt nubes.*) Cum videritis nubem orientem ab occasu, nimbus venit (Luc 12): hodie tempestas, rutilat enim triste caelum (Matth 16). Sol et luna obtenebrati sunt et stellae retraxerunt splendorem suum (Ioel 3). Ecce ventus turbinis venit ab aquilone et nubes magna et ignis involvens et de igne fulgur egrediens (Ezech 1). (*Fulminat et tonat.*) Heu [p. 139] mihi, quam terribilis est locus iste? (Gen 28) Ab increpatione tua, domine, ab inspiratione spiritus irae tuae (Psal 17), quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me et abscondas me, donec pertranseat furor tuus? (Iob 14) (*Fulminat et tonat.*) Vae misero mihi! Quo ibo a spiritu tuo

et quo a facie tua fugiam? (Psal 138) Montes et petrae, cadite super me (Apoc 6)! Montes et colles, operite me (Os 10)!

Scaena IV

Ierichuntinus et latrones.

LAT. I. Cur foris stas? (Gen 24) Ingredere in petram et in foraminibus petrae abscondere (Isa 2)! Terra mota est caelique ac nubes distillaverunt aquis (Iudie 5). Stellae caeli et splendor earum non expandunt lumen suum, obtenebratus est sol in ortu suo et luna non splendet in lumine suo (Isa 13).

LAT. II. Intra sub tectum meum (Mat 8)! Habitacula iustorum benedicentur (Exod 3), in spelunca petrae. Tenebrosa aqua in nubibus aeris (Psal 17). (*Fulminat et tonat.*) [p. 140] Intonuit de caelo dominus et altissimus dedit vocem suam, grando et carbones ignis (ibid).

IER. Heu mihi, facta est haereditas mea, quasi leo in sylva (Ier 12).

LAT. III. Intra ad me, domine mi, intra, ne timeas (Iudic 4)! Facta sunt tonitrua et fulgura (Apoc 8), nube operiente omnia.

LAT. I. Melius est duos esse simul quam unum. Habent enim emolumentum societatis suae. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Vae soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se (Eccle 4). (*Ierichuntinus cum duobus latronibus intrat speluncam.*)

Reflexio animi in punctum I

Tu fortassis es ille homo, quem animarum nostrarum praedo et tyrannus vel a Ierusalem in Iericho descendente vel alibi uspiam inermem et imparatum nactus usque adeo vulneravit (Greg. Naz. Orat. 16). Vulnerare autem hostis dicitur, quia quod nobis male suggerit, [p. 146] nos sequentes ex propria voluntate implemus et quasi cum ipso nos pariter vulneramus (Greg. M. Moral. l. 16 c. 6). Diabolus nunc agnum, nunc lupum, nunc lucem, nunc tenebras ostendit et singulis quibuslibet qualitatibus, locis et temporibus varias exhibet tentationes (August. Solil. c. 35). Quis enim vel cogitare, non dicam, verum numerare valeat dolos et insidias huius hostis antiqui? (Caesarius ser. de Vir.) Resistite diabolo et fugiet a vobis (Iac 4): Si enim eius suggestionibus assensus praestetur, quasi leo tolerari nequaquam potest. Si autem ei resistitur, quasi formica atteritur (Gregor. l.). Diabolus latrare potest, mordere autem non potest nisi volentem (August. serm. 247). Videte, fratres, quam debilis est hostis noster, qui non vincit nisi volentem (Bernard serm. 3). Est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, adversus mundi rectores tenebrarum. Induite vos armaturam dei, ut possitis resistere in

die malo! Accipite armaturam dei, state succinti lumbos vestros, in veritate et induti loricam iustitiae gladium salutis assumite et gladium spiritus! Sumite scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere (Ephes 6)!

[p. 147] PUNCTUM II

Scaena I

Ierichuntinus infirmus.

Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? (Rom 7) Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis (Psalm 21). Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia, expandit rete pedibus meis (Thren 1). Ursus insidiarius factus est mihi, quasi leo in absconditis (Thren 3): Convertit me retrorsum, posuit me desolatum, tota die maerore confectum (Thren 5). Inimici mei animam meam circumdederunt (Psalm 16), quasi avem ceperunt me (Thren 2), per linguae blandimenta (Prov 28), dederunt in escam meam fel et in siti mea potaverunt me aceto (Psal 68). Aperuerunt super me os suum, sibilaverunt et fremuerunt dentibus, dixerunt devorabimus (Thren 2). Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me, sicut [p. 148] leo rapiens et rugiens (Psal 21), quasi lupi rapientes praedam ad effundendum sanguinem, ad perdendas animas, ad avare sectanda lucre (Ezech 22). Vae misero mihi! Circumdederunt me dolores mortis et torrentes iniquitatis conturbaverunt me, dolores inferni circumdederunt et laquei mortis (Psal 17).

Scaena II

Sacerdos, Levites et Ierichuntinus.

SAC. Quis est iste? (Isa 63)

IER. Audite, obsecro, univero populi et videte dolorem meum (Thren 1)!

LEV. Quis es tu? (2 Reg^a)

IER. Homo peccator sum (Luc 5).

SAC. Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut ceteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium, quae possideo (Luc 18).

IER. Inclina, domine, aurem tuam et audi, aperi, domine, oculos, [p. 149] et vide (Isai 37)!
Da mihi, obsecro, paululum aquae, quia sitio valde, magister bone (Iudic 4)!

LEV. Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus deus (Luc 18).

IER. Convertere, domine, et eripe animam meam, respice in me, quia unicus et pauper sum ego (Psalm 24).

SAC. Redimet te deus de manu inimicorum tuorum (Mich 3).

^a Die Kapitelnummer ist unleserlich. Gemeint ist wahrscheinlich 1 Kön [= 3 Reg] 26,14.

Scaena III

Ierichuntinus

Ne discesseris a me, quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est, qui adiuvet (Psal 21). Ecce non est auxilium mihi (Iob 6). Longe factus est a me consolator (Thren 1), sustinui, qui simul mecum contristaretur et non fuit, qui consolaretur et non inveni (Psalm 68). Omnes transeuntes per viam plausuerunt super me manibus, sibilaverunt et moverunt caput suum super filium Ierusalem (Thren 3). Factus est etiam dominus velut inimicus et praecipitavit Israel (Thren 2). Veruntamen iusta loquar ad te, domine (Ier 12), erravi sicut [p. 150] ovis, quae periit, erravi. Iustus es, domine, et rectum iudicium tuum (Psalm 118), iustus es in omnibus, quae fecisti mihi propter peccata mea. Peccavi enim et inique egi, recedens a te deliqui in omnibus: Praecepta tua non audivi, nec observavi (Dan 3), os tuum ad iracundiam provocavi (Thren 1); omnia ergo, quae induxisti super me, in vero iudicio fecisti et tradidisti in manus inimicorum pessimorum (Dan 4). Vide, domine, et considera, quem ita vindemiaveris (Thren 3), vide, domine, afflictionem meam, vide et considera, quoniam factus sum vilis (Thren 1). Recordare, domine, quid acciderit nobis! Intuere et respice opprobrium nostrum (Or Ier^a)! Recordare pauperitatis et transgressionis meae, absynthii et fellis (Thren 3)! Vide, domine, quoniam tribulor! Subversum est cor meum in memet ipso, quoniam amaritudine plenus sum, foris interficit gladius et domi mors similis est. Vide, domine, et considera (Thren 1)!

[p. 151] Scaena IV

Ierichuntinus, Samaritanus et Pandochius.

SAM. Quid tu hic, aut quasi quis hic? (Isa 22)

IER. Ego ille quondam opulentus repente contritus sum (Iob 5).

SAM. Quis te huc adduxit? Quid hic agis? (Iudic 18)

IER. Percussimus foedus cum morte et cum inferno fecimus pactum.

SAM. Delebitur foedus cum morte et pactum cum inferno non stabit (Isa 28).

IER. Factus est dolor meus perpetuus et plaga mea desperabilis renuit curare (Ierem 15); quae est enim fortitudo mea, ut sustineam? Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea aenea est (Iob 6).

SAM. Habebis spem in novissimo et praestolatio tua non auferetur (Prov 23).

^a *Oratio Ieremiae* entspricht *Threni* (Klagelieder). Die Kapitelnummer fehlt hier. Es handelt sich um *Klgl* 5,1.

PAN. Ecce salvator tuus (Isa 22).

SAM. Noli timere, quia ego tecum [p. 152] sum, ego dominus salvator tuus (Isa 3). Montes commovebuntur et colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet a te (Isa 54). Non obliviscar tui, ecce in manibus meis descripsi te (Isa 45).

IER. Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor (Psalm 9).

SAM. Quid vis ut faciam tibi? (Luc 18) Visne sanus fieri?

IER. Hominem non habeo (Ioan 15).

SAM. Non est abbreviata manus domini, ut salvare nequeat (Isa 59). Crede deo et recuperabit te (Eccli 2).

IER. Domine, si vis, potes me mundare (Mar 9).

SAM. Si potes credere, omniaabilia sunt credenti.

IER. Credo, domine, sed adiuva incredulitatem meam (ibid)! Veni, domine, dic animae meae: Salus tua ego sum (Psalm 34).

SAM. Ecce ego venio cito et merces mea mecum est (Apoc 22): Non ego autem, sed gratia dei mecum (1 Cor 15).

IER. Sana me, domine, et sanabor, salvum me fac et salvus ero (Ier 17): [p. 153] Tantum dic verbo et sanabitur anima mea (Luc 6).

SAM. Convertere ad me! Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare non est obducta cicatrix populi mei? (Ier 8) Vulnus, livor et plaga tumens non est circumligata nec curata medicamine nec fota oleo (Isa 1). Obducam cicatricem tibi et a vulneribus tuis sanabo te (Isa 30). (*Infuso vino et oleo curat et ligat vulnera.*)

PAN. Bona res est, quam vis facere (Deut 1). (*Detectis vulneribus nauseam capit.*) Homo putredo et filius hominis vermis (Iob 15). Quis potest facere mundum de immundo conceptu semine? Nonne tu, qui solus es? (Iob 14) Immunditia exsecrabilis! (Ezech 24)

SAM. Nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiore quam me (Act 2). Quid est autem, quod in terra inimicorum es? Inveterasti in terra aliena, coinquatus es cum mortuis, deputatus es cum descenditibus in infernum (Bar 3).

[p. 154] IER. Dereliqui fontem sapientiae (Bar 3) et incidi in latrones, (Luc 10) qui foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea, diviserunt sibi vestimenta et super vestem meam miserunt sortem (Psalm 21).

SAM. Nunquid servus est Israel aut vernaculus? Quare ergo datus est in praedam? (Ierem 2)

PAN. Filii Sion incliti et amicti auro primo, candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores (Thren 4) dati sunt in praedam (Iudith 5): Erraverunt in solitudine, in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt (Psalm 106).

SAM. Populum meum exactores sui spoliaverunt (Isa 3), nudaverunt eum tunica talari et polymita (Gen 37). Inimici eius locupletati sunt (Thren 1) et acceperunt spolia (1 Mach 17).

PAN. Pro eo, quod fecerint Palaestini vindictam, interficientes et implentes inimicitiam veterem, propterea ecce et ego extendam manum meam super Palaestinos et interficiam interfectores (Ezech 25).

[p. 155] SAM. Mea est ultio et ego retribuam in tempore (Deuter 32), mihi vindicta, dicit dominus (Rom 12). Expergiscimini, qui habitatis in pulvere (Isa 6), confortate manus dissolutas et genua debilia roborate (Isa 35)! Ego feram, ego portabo, ego salvabo (Isa 46). (*Samaritanus Ierichuntinum infirmum suis humeris impositum in domum Pandochii transfert.*)

PAN. Benedictus, qui misertus est tui (Ruth 1). Ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit et aegrotationes nostras portavit (Matth 8). Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit (Isa 53).

Reflexio animi in punctum II

Homo, qui descendit in Iericho, est Adam, Ierusalem paradisi, Iericho mundus, latrones contrariae fortitudines. Per sacerdotem intellegitur lex, per Levitam prophetae, per Samaritanum Christus, per Pandochium ecclesia (Origenes n. cap. 10 Lucae homil. 34). Totum genus humanum [p. 156] est ille homo, qui iacebat in via semivivus, a latronibus relictus, quem contempsit transiens sacerdos et Levites et accessit ad eum curandum transiens Samaritanus, in quo se voluit intelligi dominus noster Iesus Christus (August. de V. D. serm. 37). Christus Samaritanus descendit de caelo videns semivivum, quem nemo poterat ante curare, factus passionis nostrae compassione finitimus, contigit vulnera austeriore praecepto, fovet remissione peccati (Ambr. in cap. 10 Luc.). Sanabuntur etiam omnes languores tui, tantum tu curari te sine, manus eius ne repellas, novit quid agat medicus. Non tantum delecteris, cum fovet, sed etiam toleres, cum secat. Tolera medicinalem dolorem, futuram cogita sanitatem! Ferto ergo manus eius, o anima, quae benedicis eum, non obliviscens omnes retributiones eius, sanat enim omnes languores tuos (August in Psalm. 102).

[p. 157] PUNCTUM III

Scaena I

Samaritanus.

Haec dicit dominus deus Ierusalem: Aqua non es lota in salutem, nec sale salita; non pepercit super te oculus, ut faceret tibi unum de his, misertus tui; sed proiecta es super faciem terrae in abiectioe animae tuae. Transiens autem ego vidi te conculcari in sanguine tuo et dixi tibi: Vive, dixi inquam tibi, in sanguine tuo vive! Eras nuda et confusione plena, transivi et vidi te et ecce tempus tuum tempus amantium. Expandi amicum meum super te et operui ignominiam tuam. Iuravi tibi et ingressus sum pactum tecum, ait dominus deus et facta es mihi (Ezech 16). Nunc ergo ecce consurge, consurge, induere fortitudine tua Sion, exsurge Ierusalem (Isa 5)!

[p. 158] Scaena II

Samaritanus et Pandochius.

SAM. Euge, serve bone et fidelis (Matth 25)! Audite legem meam, inclinate aurem in verba oris mei! Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum et plagis impositis abierunt semivivo relicto (Luc 10), secundum quod ipsemet vidisti (Dan 2) virum dolorum, despectum, quasi leprosum et scientem infirmitatem (Isa 53). A planta pedis usque ad verticem capitis non est sanitas (Isa 1). Ego misericordia motus et tactus dolore cordis intrinsecus (Gen 6) appropians alligavi vulnera eius, infundens oleum et vinum et imponens in iumentum duxi in stabulum et curam illius egi (Luc 10). Conturbata sunt viscera mea super eum (Ier 38), ego veniam et curabo (Mat 8) miserens miserebor. Ipse autem non sic arbitritur et cor eius non sic existimabit (Isa 10). Non credet, quod reverti [159] possit de tenebris ad lucem (Iob 5). Nunc igitur ecce duos denarios dedi tibi, at curam illius habe et quodcunque supererogaveris, ego reddam tibi (Luc 10).

PAN. Sicut iussisti, domine mi, servo tuo, sic faciam (2 Reg 9).

SAM. Quod egressum est de labiis tuis, observabis et facies, sicut promisisti (Deut 23).

Scaena III

Samaritanus, Ierichuntinus et Pandochius.

PAN. Ecce, quem amas, infirmatur (Ioa 11).

SAM. Quis infirmatur ex vobis et ego non infirmor? Quis scandalizatur et ego non uror?
(2 Cor 11) Infirmitas tamen haec non est ad mortem (Ioan 11). (*ad infirmum*) Ne dederis
somnum oculis tuis, nec dormitent palpebrae tuae!

PAN. Usquequo miser dormies, quando consurges? (Prov 6)

SAM. (*Ierichuntinum excitat.*) Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis (Eph 6)!

[p. 160] IER. Evigilavi, quasi qui colligit acinos post vindemiatores (Dan 4).

PAN. Ecce homo, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam
(Psal 102) sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo (Mat 4).

IER. Video homines velut arbores ambulantes (Mar 8).

SAM. Insanisti? Usquequo loqueris talia? (Iob 8) More infantium insensatorum? (Sap 12)

IER. Cogitationes meae dissipatae sunt torquentes cor meum (Ps 39).

PAN. Daemonium habet et insanit (Ioa 10).

IER. Non insanio, cor meum dereliquit me. O domine, libera animam meam (Ps 39)!

SAM. Spiritus domini super me, ut mederer contritis corde, ut darem eis coronam pro
cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu maeroris (Isa 61).

PAND. Noli negligere gratiam, quae data est tibi (1 Tim 4)! Apparuit enim gratia salvato-
ris, qui restituet te in gradum pristinum (Eccli 12).

[p. 161] IER. Miserere mei, fili David (Mat 15)! Miserere mei, domine, quoniam infirmus
sum! Sana me, domine, quoniam conturbata sunt ossa mea (Psal 6)!

SAM. Patientiam habe, patientia necessaria est (Hebr 10). Nam virtus in infirmitate per-
ficitur (2 Cor 12).

IER. Defecit anima mea in salutare tuum, defecerunt oculi mei in eloquium tuum,
quando consolaberis me (Psal 118).

SAM. Noli esse pusillanimis in animo tuo (Eccli 7)! Auferetur iniquitas tua et peccatum
tuum mundabitur (Isa 6). Nunquid non ipse ego pater tuus? (Deut 32)

IER. Domine, non sum dignus vocari filius tuus (Luc 15).

PAND. Non confundaris confiteri peccata tua (Eccli 4), omnem languorem et omnem in-
firmitatem (Matth 9).

IER. Angustiae sunt mihi undique (Dan 13). Quam horridum est incidere in manus dei
viventis! (Hebr 10)

SAM. Da gloriam domino deo Israel! Confiteri atque indica mihi, ne abscondas (Ios 7)
gravissima vulnera tua!

[p. 162] IER. Ex omni parte me angustiae premunt (1 Par 21). O beati, quorum tecta sunt
peccata (Psal 31).

SAM. Dominus illuminabit abscondita tenebrarum (1 Cor 4).

- IER. Deus, tu scis insipientiam meam et delicta mea a te non sunt abscondita (Psal 68).
Deus meus, confundor et erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostrae super caput nostrum et delicta nostra creverunt usque ad caelum (Eccl 9).
Multiplicatae sunt iniquitates meae, domine, multiplicatae sunt et non sum dignus intueri altitudinem caeli prae multitudine iniquitatum mearum (Or Man).
- PAND. Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, fili Ierusalem, cui exaequabo te, fili Sion?
Magna est velut mare contritio tua (Thren 2).
- IER. Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae a facie insipientiae meae, afflictus sum et humiliatus sum nimis (Psalm 37).
- SAM. Quomodo mutatus est color optimus? Denigrata est super carbones facies et adhaesit cutis ossibus (Thren 4).
- [p. 163] IER. Averte faciem tuam a peccatis meis et omnes iniquitates meas dele (Psalm 50)!
- SAM. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas (Isa 43).
- IER. Cor mundum crea in me, deus (Psal 50)!
- SAM. Confide, fili, mundabo cor tuum (Ezech 16). Aqua, quam dabo, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam (Ierem 4). (*Infirmitas aqua mundat et maculas abstergit.*)
Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non potest introire in regnum caelorum (Ioan 3).
- IER. Hauriemus aquas cum gaudio de fontibus salvatoris (Isa 12). At si lotus fuero quasi aquis nivis et fulserint quasi mundissimae manus meae, abominabuntur me vestimenta mea (Iob 9). Operuit confusio faciem meam (Psalm 60), tota die verecundia mea contra me est (Psalm 13).
- SAM. Purpura indueris et torquem auream habebis in collo (Dan 5), ornamento circumdaberis quasi sponsa (Iob 40).
- IER. Domine, dic, ut sedeam in regno patris tui!
- SAM. Potesne bibere calicem, quem ego bibiturus sum?
- [p. 164] IER. Possum.
- SAM. (*porrigens poculum*) Bibe vinum, quod miscui tibi (Prov 8)! Cum suavitate bibes illud (Eccl 9) et sanitas tua citius orietur (Isa 58).
- IER. Botrus Cypri dilectus meus mihi (Cant 1).
- SAM. Calix meus inebrians quam praeclarus est! (Psal 24)
- IER. Quam magna multitudo dulcedinis tuae, domine! (Psal 30)
- SAM. (*infirmitas ungens oleo*) Oleo sancto meo unxi te (Psal 88).
- IER. Trahe me post te! Curremus in odorem unguentorum tuorum (Cant 1).
- SAM. Ecce sanavi te. Surge, tolle grabatum tuum et ambula (Ioan 5)! Ambula coram me et esto perfectus (Gen 15)! (*ad Pandochium*) Cito proferte stolam primam, induite illum et date annulum in manum et calceamenta in pedes eius (Luc 15)! Debet indui vestibus regis et accipere regium diadema super caput suum (Esth 6). (*ad Ierichuntinum*) Circumda tibi decorem et in sublime erigere! Esto gloriosus et speciosus induere

[p. 165] vestibus (Iob 40)! Consurge, consurge! Induere fortitudine tua Sion, induere vestimentis gloriae tuae, induere vestibus his (Isa 52)!

Scaena IV

Samaritanus solus.

Hoc dicit dominus exercituum deus Israel (Ier 2): Popule meus, iram quidem domini merebaris (2 Par 19), servire me fecisti in peccatis tuis, praebuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis (Isa 43); sed pepercit tibi oculus meus (2 Re 24). Lavi te aqua, emundavi sanguinem tuum et unxi te oleo (Eze 16). Delevi ut nubem iniquitates tuas et quasi nebulam peccata tua (Isa 44). Redemi te et vocavi te nomine tuo, meus es tu (1 Reg 24). Redemi te de manu inimicorum tuorum (Is 4). Honorabilis factus es in oculis meis et gloriosus. Ego dilexi te (Is 3), in caritate perpetua dilexi te (Ier 31).

[p. 166] Scaena V

Samaritanus et Ierichuntinus.

IER. Quam magna misericordia domini et propitiatio illius convertentibus ad se! (Eccli 17) Iustitia indutus sum et vestivi me sicut vestimento et diademate (Iob 29). Gaudens gaudebo in domino, quia induit me vestimento salutis et indumento iustitiae circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona et quasi sponsam ornatam monilibus suis (Isa 61). Diligam te, domine, fortitudo mea, dominus firmamentum et refugium meum et liberator meus (Psal 17). Dominator domine deus, misericors et clemens, qui auferis iniquitatem (Exod 34), non recedam ab innocentia mea (Iob 9), donec superest halitus in me (Iob 21).

SAM. Quid ultra tibi facere debui et non feci? (Is 5) Vestivi te discoloribus et calceavi te ianthino, cinxi te bysso et indui te subtilibus, ornavi te ornamento, dedi armillas in manibus tuis et torquem circa collum tuum. Ornatus es auro et argento, [p. 167] vestitus es bysso et polymito, decorus factus es vehementer nimis (Psal 115).

IER. Quid retribuam domino pro omnibus, quae retribuit mihi? (Psal 115) Confitebor tibi, domine rex, et collaudabo te salvatorem meum, quoniam adiutor et protector factus es mihi, liberasti corpus meum a perditione, liberasti me de portis tribulationum, quae circumdederunt me. Vita mea approquinquans erat in inferno deorsum, circumdederunt me undique, respiciens eram ad adiutorium hominum et non erat, qui

adiuvaret. Invocavi dominum patrem domini mei et eripuisti me de tempore iniquo. Propterea confitebor et laudem dicam tibi, benedicam nomini domini (Eccli^a).
SAM. Ecce sanus factus es, vade et iam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat (Ioan 5)!

[p. 168] Reflexio animi in punctum III

Aegrotat humanum genus non morbis corporis, sed peccatis (August de V. D.). Multas infirmitates habet anima nostra, quot peccata, tot infirmitates (Hieron. in Ps. 62). Febris enim nostra avaritia est, febris nostra libido est, febris nostra luxuria est, febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est (Ambr. l. 4 in c. 3 Luc.). Vulnere peccatorum, quae infirmus detegat, nemo curare potest, nisi medicus ille, qui est omnipotens, succurrat, qui sicut medetur sine pretio, ita salutem restituit verbo (Greg. in c. 10 Luc.). Qui est verbum dei, aegris suis non herbarum succis, sed verborum sacramentis medicinam conquirat (Orig. hom. 1 in Lev.). Quisquis ergo es, Christiane, ama Christum, qui te a praedonibus liberavit! Dilige dominum, qui te prostratum erexit! Dilige dominum, qui te in ecclesiae stabulum invexit, qui te rectori stabulario commendavit, qui duos denarios – hoc est legem et evangelium – in eruditionem tuam erogari praecepit (Chrisost. in Luc.).

[p.169] Propositum, ut vocant, practicum, fructus et colloquium

Angelus et Proteus.

ANG. Haec in proverbii locutus sum vobis. Venit hora, cum iam non in proverbii loquar, sed palam (Ezec 44). Haec dicit dominus deus, sufficiant vobis omnia scelera vestra, domus Israel (Iudit 29). Nolite, fratres, nolite facere malum (Eph 4)! Nolite peccare amplius (Num 14)! Nolite rebelles esse contra dominum (Eph 4)! Induite novum hominem, qui secundum deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis (Bar 4)! Sicut fuit sensus vester, ut erraretis a deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum (Rom 6). Sicut exhibuistis membra vestra servire iniustitiae ad iniquitatem, ita nunc exhibeatis servire iustitiae in sanctificationem (Rom 8).

PROT. Quid ergo dicemus ad haec? (1 Cor 15) Sicut portavimus imaginem Adae terreni, ita portemus et caelestis (Rom 13). Abiciamus opera tenebrarum et induamur arma lucis (Rom 6); ambulemus in [p. 170] novitate vitae (Rom 6), induamur dominum Ie-

^a Die Kapitelnummer fehlt hier. Es handelt sich um *Sir 51,12*.

Pius Samaritanus – Punctum III

sum Christum (Rom 13). Ego autem ad dominum aspiciam, audiet me deus meus, con-
surgam, cum sedero in tenebris. Dominus lux mea (Mich 7), dominus illuminatio mea
et salus mea (Psalm 26), dominus meus et deus meus (Ioan 20). Quid mihi est in caelo
et a te quid volui super terram? (Ps 72)

Affectus et colloquium

Deus cordis mei et pars mea deus in aeternum! (ibidem) Quis ergo nos separabit a
caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an perse-
cutio, an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque instantia, neque
futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliqua poterit nos separare
a caritate dei, quae est in Christo Iesu domino nostro (Roman 8).

ANG. Confirma hoc, deus, quod operatus es in nobis (Psalm 67).

PROT. Paratum cor meum, deus, paratum cor meum (Psalm 56). Fiat! Fiat!

Δόξα τριάδι θεώ.

Übersetzung

DER BARMHERZIGE
SAMARITER

Ein Mann ging von Jerusalem nach Jericho hinab und wurde von Räubern überfallen. Sie plünderten ihn aus und schlugen ihn nieder; dann gingen sie weg und ließen ihn halbtot liegen. Zufällig kam ein Priester denselben Weg herab; er sah ihn und ging vorüber. Ebenso kam auch ein Levit zu der Stelle; er sah ihn und ging vorüber. Ein Samariter aber, der auf der Reise war, kam zu ihm; er sah ihn und hatte Mitleid, ging zu ihm hin, goss Öl und Wein auf seine Wunden und verband sie. Dann hob er ihn auf sein eigenes Reittier, brachte ihn zu einer Herberge und sorgte für ihn. Und am nächsten Tag holte er zwei Denare hervor, gab sie dem Wirt und sagte: Sorge für ihn, und wenn du mehr für ihn brauchst, werde ich es dir bezahlen, wenn ich wiederkomme (Lk 10,30–35).

[S. 124] *Vorspiel*

Proteus wird von einem Engel geweckt, damit er sich mit der menschlichen Seele beschäftigt und über die ewigen Wahrheiten nachdenkt.

Erster Punkt

(1) Ein Mann aus Jericho, der als Bote nach Jerusalem gesandt worden war, will sich nach Jericho begeben. (2) Azarias versucht vergeblich, es ihm auszureden, (3) und bestärkt ihn sogar noch in seinem Vorhaben. Ein bedrohlicher Himmel lässt den Mann befürchten, in ein plötzliches Unwetter zu geraten, (4) also lässt er sich von irgendwelchen Leuten unter freundschaftlicher Maske – in Wahrheit sind es Räuber! – in eine abgelegene Waldhütte einladen. (5) Ganz und gar berauscht von deren Verlockungen (6) wird er seiner Kleider beraubt, verwundet und halbtot liegen gelassen.

Auslegung zum ersten Punkt

dargelegt nach den heiligen Vätern auf eine dem Verständnis und Wohlwollen der Meditierenden bequeme Weise.

Zweiter Punkt

(1) In seiner schlimmen Notlage (2) klagt der Mann aus Jericho beim Priester und Leviten vergeblich über sein Unheil, (3) weshalb [S. 125] er sich in seiner Verzweiflung kaum noch am Leben halten kann; (4) von einem vorbeigehenden Samariter wird er schließlich gütig behandelt; dieser verbindet seine Wunden, wodurch er sich erholt, holt ihn aus der Grube, in der er lag, und bringt ihn zu einem besseren Ort.

Auslegung zum zweiten Punkt

Pius Samaritanus – Inhaltsangabe

Dritter Punkt

(1) Der Samariter (2) und sein Gefährte, der Wirt, (3) stellen die frühere Gesundheit des geschwächten Mannes aus Jericho wieder her, der an verschiedenen Arten von Wunden und Eitergeschwüren leidet. (4) Er bekommt auch bessere Kleider (5) und tut alles dafür, um sich eben jenem Samariter dankbar zu zeigen und sich vertrauensvoll auf ewig zu dessen Diener zu machen.

Auslegung zum dritten Punkt

und eine Anleitung zum, wie man sagt, praktischen Nutzen, dargelegt von Proteus als Gehilfe des Engels.

PERSONEN UND DEREN AUFSCHLÜSSELUNG

Samariter: *Christus, der Erlöser*

Geschwächter Mann aus Jericho: *der sündige Mensch*

Azarias: *der Schutzengel*

Priester: *das Gesetz des Alten Testaments*

[S. 126] Levit: *der Prophet des alten Gesetzes*

Wirt: *der heilige Papst*

Erster Räuber: *der Teufel*

Zweiter Räuber: *die irdische Welt*

Dritter Räuber: *das Fleisch*

Entsprechend ist Jerusalem, auch Anblick des Friedens, das Erbe Gottes, also das Paradies. Jericho, auf Latein Luna¹, oder Unbeständigkeit vergänglicher Dinge

Die Herberge, oder, wie man auf Griechisch sagt, πανδοχείον [Allesnehmer], d.h. Haus für Jedermann² (so übersetzt es auch der Syrer), ist die Kirche.

Das Reittier ist die Menschwerdung Christi.

Der Wein, der vergossen wird, ist das Blut Christi.

Die Wunden und Eitergeschwüre des Geschwächten sind die Sünden.

So haben Lk 10 die Heiligen Aug. (serm. 17 über die Worte Gottes), Hieronymus und Ambrosius ausgelegt; ebenso Origines (hom. 34).

¹ *Luna* im Sinne von „Mondstadt“ für Jericho war seit Hieronymus unter christlichen Autoren der Spätantike und des Mittelalters üblich.

² Resch leitet *diversorium* hier von *diversus* (verschieden) ab. Üblich ist die Ableitung von *de-vertō* (abkehren, weggehen; auch: einen Abstecher wohin machen, wo einkehren): Es gibt entsprechend auch die Schreibweise *deversorium*.

Geistige Vorbereitung auf die Betrachtung des Folgenden

Der Engel und Proteus, der im Schatten des Todes schläft

ENGEL: (*weckt den schlafenden Proteus*) Wach auf, du Schläfer, und steh auf von den Toten (Eph 5,14)! Steht nicht mehr auf, wer einmal daliegt (Ps 41,9)? Wie lange willst du, Elender, noch daliegen, wann willst du aufstehen von deinem Schlaf (Spr 6,9)? Schnell, steh auf (Apg 12,7)!

PROTEUS: Ich legte mich nieder und schlief, ich erwachte (Ps 3,6). Verkünden will ich dir, hör mir zu! Was ich geschaut, will ich erzählen (Ijob 15,17). Ich hatte einen Traum, der mich erschreckte. Was ich auf meinem Lager sah, was meine Augen erblickten, versetzte mich in Angst (Dan 4,2). Ich habe einen Traum geträumt und mein Geist war voller Unruhe, um den Traum zu verstehen (ebd. 2,3). Ein Baum stand in der Mitte der Erde; er war sehr hoch, seine Höhe reichte bis an den Himmel; er war bis ans Ende der ganzen Erde zu sehen [ebd. 4,7–8]. Und ein Heiliger stieg vom Himmel herab [S. 128] und rief mit mächtiger Stimme: Fällt den Baum und schlägt seine Äste ab, streift sein Laubwerk ab und zerstreut seine Früchte [ebd. 4,10–11]! Das ist der Traum, den ich gehabt habe. Nun deute ihn (ebd. 4,15)!

ENGEL: Das ist seine Deutung (Gen 40,12): Der hohe Baum, den du gesehen hast [Dan 4,17], bist du, der du groß und mächtig geworden bist (ebd. 4,19), der du in deinem Herzen gesagt hast [Jes 14,13]: Dem Höchsten will ich mich gleichstellen (ebd. 14,14). Dies ist die Deutung, und ein Beschluss des Höchsten ist es [Dan 4,21]. Darum nimm meinen Rat an: Lösche deine Sünden aus durch rechtes Tun, tilge deine Vergehen, indem du Erbarmen hast mit den Armen! Dann vergiebt er dir vielleicht deine Vergehen (ebd. 4,24). Je größer du bist, umso mehr demütige dich und du wirst vor dem Herrn Gnade finden (Sir 3,18).

PROTEUS: Dann sah ich ein anderes Zeichen am Himmel, groß und wunderbar (Offb 15,1), ich sah sieben Engel mit [ebd.] sieben goldenen Schalen; sie waren gefüllt mit dem Zorn Gottes, der in alle Ewigkeit lebt [ebd. 15,7]. Dann hörte ich, wie eine laute Stimme den sieben Engeln zurief: Geht und gießt die sieben Schalen mit dem Zorn Gottes über die Erde (ebd. 16,1)! Was soll der Traum bedeuten (Gen 37,10), mein Herr [Gen 19,18]?

ENGEL: [S. 129] Du hast den Becher aus der Hand des Herrn gesehen (Jer 25,17). Daraus müssen alle Frevler der Erde trinken (Ps 75,9), vom Wein des Zorns Gottes [Offb 14,10], vom Grimm des Allmächtigen (Ijob 21,20). Bitter wird der Trank sein für die, die ihn trinken (Jes 24,9).

PROTEUS: Ich habe ein wenig davon genommen und schau: Ich sterbe (1 Sam 14,43).

Pius Samaritanus – Prolog

ENGEL: Sei guten Mutes (Tob 5,10)! Gott rief uns zu, auf dass wir drei Tagesmärsche weit in die Wüste ziehen (Ex 5,3). Der Herr hat Zion getröstet, er machte ihre Wüste wie Eden und ihre Öde wie den Garten des Herrn (Jes 51,3).

PROTEUS: Kennst du den Weg?

ENGEL: Gewiss! Ich kenne alle Wege und habe sie oft beschritten (Tob 5,5–6)

PROTEUS: Wären doch meine Schritte fest darauf gerichtet, deine Gesetze zu beachten (Ps 119,5)! Fest blieben meine Schritte auf deinen Bahnen, meine Füße wankten nicht.

ENGEL: Mein Kind, kehre zum inneren Menschen zurück (Eph 3,16)! Geh in die Arche, du und dein ganzes Haus (Gen 7,1)! Geh, mein Volk, tritt ein in deine Kammern, schließ [S. 130] die Türen hinter dir! Verbirg dich für einen kurzen Moment (Jes 26,20)! Frieden verkündet Gott seinem Volk und denen, die sich an ihr Herz wenden (Ps 85,9). Sammelt euch, tut euch zusammen, ehe über euch der Tag des Zorns des Herrn kommt (Zef 2,2)!

[S. 131] ERSTER PUNKT

Erste Szene

Mann aus Jericho, allein.

Wer weiß so sehr zu genießen wie ich (Koh 2,25)? Ich habe mein Wissen immerzu vergrößert, sodass ich jetzt darin jeden übertreffe, der vor mir in Jerusalem war (ebd. 1,16). Das ist etwas, was ich eingesehen habe: Das vollkommene Glück besteht darin, dass jemand isst und trinkt und das Glück kennenlernt (ebd. 5,17). Jerusalem, Jerusalem, wir schweiften frei umher und wollen nicht mehr zu dir kommen (Jer 2,31). Meine Freude war es, bei den Menschen zu sein (Spr 8,31) auf den Steppen der Stadt Jericho (Jos 4,13). Ha, Die uralten Höhen gehören uns als Besitz (Ez 36,2): Die Berge triefen von Wein, die Hügel fließen über von Milch (Joel 4,18). Auf, genieß das Glück, auf (Koh 2,1) durch jeden hohen Hügel und jeden dicht belaubten Baum (Ez 20,28)!

[S. 132] Zweite Szene

Mann aus Jericho und Azarias

AZARIAS: Was ist das schon, die Höhe, zu der ihr dort kommt (ebd. 20,29)?

MANN AUS JERICHO: Es mit der Freude versuchen und auf (Koh 2,1) ins ganze Land von Gilead bis nach Dan [Dtn 34,1], nach Süden in den Talgraben von Jericho, der Palmstadt (ebd. 34,3), ins Land, wo Milch und Honig fließt, ein Schmuckstück unter allen Ländern (Ez 20,6).

AZARIAS: Windhauch, Windhauch, alles ist Windhauch (Koh 1,2).

MANN AUS JERICHO: Ist es nicht besser, zu essen und zu trinken und durch seinen Besitz das Glück selbst kennenzulernen (ebd. 2,24)?

AZARIAS: Windhauch, Windhauch, alles ist Windhauch [ebd. 1,2].

